



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Henricus Suso C. 25. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

chos dicit. Inter tyrocinii tempora cùm fletu alios inundari, ipse pumex, videret; saxo è pectore fontem oculis statuit petere. quod factum postea tam abundè, ut pavimenta, & vestes sacrificantis fletu maderent, interque cœnulam plus videretur lacrimarum quām aquæ bibere. Magnatibus etiam familiaris pacem inter Conradum Imp. & Henricum Regem sanxit. Venenum non semel innoxius babit, illis morientibus, qui miscuerant. Pastorem à lupo laniatum vitæ, & gregi reddidit: dæmonem ludicrâ alapâ fugavit. Moritur denique cilicio incumbens, terramque matrem prono pectore deosculans. Mortuum sex dies odor mirissimus laudavit suavissimusque; tumularunt inter homines visi Angeli, sepulchrum verò ingentia miracula ornarunt. Ex Surio.

Ornari abs te Diabolus querit. si Calicem aureum invenisses in terra, donares illum Ecclesia Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Sathanæ propinas te ipsum.
S.Aug.Ep.41.

B. HENRICUS SUSO C. 25.Ianuarii.

HENRICVS SVSO Constantiæ in D. Dominici familiam adlectus simulque à JESV in adyta amoris inductus, JESV nomen pectori insculpsit ingeniosus cælator. Digitales erant literæ, quæq; ad cordis motum, & ipsæ movebantur, ut cum hoc dudum conspirasse, idemque utrobique agiscires. Interea inter dolores deficientem alterum, & è cælo lapsum nomen JESV è cruce auro gemmisque rutilans recreavit. Et cur à Filio Mater abesser? MARIAM salutare ante solem gestiebat, tunc præsertim, cùm idē facere Angelos audiisset,

illis

26.Ian. VITÆ SANCTORVM. 59
illis verbis, Stella MARIA maris hodie processit ad or-
tum: quandoque etiam ad cantus illos socius ad-
missus. Jam Kal.Jan.& Maii, quibus Suevia vel
Xeniis vel cantu certat, ille totos dies JESVM &
MARIAM sonare, flores Crucis dare, hanc osculis
fatigare; ut post tot amores manifestus iterum
JESVS HENRICI nomen in AMANDI mutarit, &
MARIA (cujus solo nomine in fugam orcum dabat)
humana nauseanti cælestem liquorem propinarit.
Cæterum (mecum mirare) hucusque in primo gra-
du virtutis consistere AMANDVM suum Christus
docuit, & Seraphinum alatum in cruce sua indu-
tus docuit per adversa non ire, sed volare in cæ-
lum. Abhinc scortator, sacrorum fur, impostor,
veneficus audiit AMANDVS, ut succumbere po-
tuisset, nisi JESVS & MARIA Angeliique collo-
quiis suis identidem firmassent. His succollanti-
bus in cælos evasit, anno M.CCC.LXV. qui sequi
volunt, legant scandantque Rupes, quas scripsit.
Ex Ann. Ordin. Pred.

*Tristatur aliquis? veniat in cor ejus JESVS, & inde
saliat in os. & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum
omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in cri-
men, currit ad laqueum mortis, nonne si invocet nomen
vitæ, respirabit ad vitam?* S.Bern.sermon.15.Cant.

S. POLYCARPUS EP. M. 26.Ianuarii.

Antistes Smyrnensibus POLYCARPVIS à Divo
Joanne Apostolo datus est, eā apud omnes
fuisse auctoritate memoratur, ut subinde sperare
ausi sint Judæi, Christianos, misso Christo, POLY-
CARPVIS secuturos. Libertate quam Christianâ in
dicendo fuerit, argumento sit ejus cum Marcione
hæretico congressus, qui cum ad conspectū suum